EAY-18-00345

XLVII.9.

KNY-18-00315

VAGABUNDUS JURIS TYRO

SEU

TRACTATUS SUMMARIUS

DE

Jure N. G. & C. Crimine Læsæ Majestatis, Patria potestate, & re militari.

QUEM

In Alma Archi-Episcopali Soc. JESU Universitate Tyrnavienſi

PRÆSIDE

PERILLUSTRI, CLARISSIMO, ac CONSULTISSIMO

DOMINO

JACOBO ANTONIO ALIPRANDI

AA. LL. & Philoſophiæ, & J. U. Doctore, Aulæ, Judiciorumque Advocato, nec non in eadem Universitate Juris Civilis Imperialis Profeſſore Publico, & Ordinario.

Publicæ diſſertationi ſubmittit

PERILLUSTRIS DOMINUS

ALEXANDER RÒTTH, Ungarus Komaromienſis, ex Comitatu eodem, AA. LL. & Philoſophiæ Baccalaureus formatus, ejuſdemque pro Suprema Laurea Candidatus, Juris Civilis Imperialis in Primum, Hungarici verò in Tertium Annum Auditor. Sem. Mariano-Szelepcséniani Alumn.

Anno M. DCC. XXII. Menſe Junio Die

TYRNAVIÆ, Typis Academicis per Fridericum Gall.

VENERABILI
ARCHI-CAPITULO
STRIGONIENSI,
ILLUSTRISSIMIS,
Ac
REVERENDISSIMIS
DOMINIS DOMINIS
EPISCOPIS,
PRÆLATIS,
ET
CANONICIS
&c. &c.
Patronis, ac Mœcenatibus
Suis Gratioſiſſimis.

KNY-18-00315

VENERABILE ARCHI-CAPITULUM STRIGONIENSE!

ILLUSTRISSIMI

AC

REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI!

QUòd ad Sacros Illuſtriſſimorum, ac Reverendiſſimorum Dominorum pedes tributarios primi laboris mei Themilogici fructus ſubmiſſo deponam poplite, partim & veſtræ, quam fama jam dudum Orbi notiſſimam fecit, adſcribendum Clementiæ, gratioſovè annutui meas ex Jure Primitias glorioſiſſimis veſtris ſub Auſpicijs publicam in lucem

edendi, partim & erit perennaturi mei in vos obſequij, devotionis, ac gratitudinis arrha, è glorioſa munificentiæ veræ cornucopia Juris prudentia Tyrnavienſis Sacro-ſanctæ Themidis diffundit dogmata, quid mirum? ſi eadem ad vos ut ad mare flumina, ad ſolem radij revertantur, à vobis, qui omnium in ſolatium, æquè ac exemplum virtutibus, & ſapientia præfulgetis, & quibus, quod olim Fabio, Jure optimo convenit: Faciliùs ſolem à ſuo curſu, quàm vos à Religionis, & Juſtitiæ ſemita poſſe dimoveri, *& ad inſtar Promethei majorem lucem, & ut vagabundi Juris Tyrones ſtabilitatem ſumptura. Quare id unum identidem à vobis ſubmiſiſſimè efflagito, ut levidenſe hoc opuſculum, meámque exiguam perſonam ſublimi veſtro patrocinio, & gratia beare, méque veſtris obſequijs perenniter mancipatum accipere dignemini.*

Illuſtriſſimorum ac Reverendiſſimorum Dominorum Dominorum.

Clientum infimus

Alexander Rötth.

PROLOGUS.

Solvêre & tyrones, & Juris periti Theſibus, publicam in lucem prodeuntibus, vel connexionis, vel ordinis rationem præfigere, doctiſſimam eorum ſemitam lubens ſequerer, verùm impoſſibile fuit, 4. menſium periodô in immenſo Juris prudentiæ mari ſtabilitatem figere, qua de cauſa ad inſtar piratæ ſcyllam inter, & charyptim eouſque vagabor, donec Navarchus meus in medio ſcyllæ & charyptis (Intelligo Juris Imperialis, & Hungariæ Tripartiti) exoptatam pacis anchoram jecerit, publicovè concordiæ tractatu perpetuum fœdus ſtabiliverit. Indè priori conſilio inſiſtendo à præfati tripartiti Prologo, qui partis primæ materia erit, ad Titulum 14. Libri primi, & non reperibilem ibi Criminis Læſæ Majeſtatis explanationem laconicè adducam ; â tit. 14. ad §1. ejuſd. Libr: ſupplendo, quæ eo in loco de patria poteſtate deſunt. Tandémque, cum moderatoris ſapientiſſimi dogmata etiam ad publico politica ſe extendant, ad materiam belli digrediar. vagabundo meo deſiderio faveant DEUS ter Optimus Maximus, Virgo abſque Labe concepta, nec non Juridicæ Facultatis Patronus Divus Ivo. Fave & tu Benevole Lector.

PARS I.

De Jure naturali, gentium, & Civili.

NOmine Juris laxissimè sumpti intelligitur omne id, quod naturalis, & positiva dictat æquitas *Mynsing. Inst. de Jur. N. G. & C.* Eo sensu acceptum Jus dividitur in naturale, & positivum; naturale fundatur in dictamine veræ, & rectæ rationis, & versatur partim circa ea, quæ & brutis animantibus communia, uti sunt maris, & fœminæ conjunctio, procreatio prolis, defensio &c. partim verò circa ea, quæ solis hominibus propria, uti religio in DEUM, amor in patriam, bella, captivitates &c. & quidem vel præcipiendo, vel prohibendo, vel permittendo: inde & Jurisperiti occasionem sumsêre, dividendi Jus in naturale, & gentium, rursúsque naturale, & gentium in perceptivum & præmissivum, quam quidem distinctionem & approbo, & improbo eandem problematicè defendendo.

Positivum verò aliud est Divinum, aliud humanum, Divinum distinguitur in vetus, & novum, vetus continetur in veteri testamento *can. mores distinct. 7.* nuncque solum quoad præcepta moralia, non cerimonialia, & judicialia obligat, novum conditum est à Christo DEO, & homine testamentúmque novum dicitur.

Humanum pariter separatur in Canonicum, & Civile, utrumquè autem in scriptum, & non scriptum: magnam hæc duo Jura inter se habent familiaritatem, cum & Sacri Canones non dedignentur sequi Leges Civiles *cap. 1. x. de nov: op: nunt:* & Leges Civiles sacros Canones imitentur. *Cujac ad cap. 15. de sent. & re Jud.* Canonicum constituitur primò per Decreta Gratiani divisa in tres partes, quarum prima distinctiones 101. subdivisas in Canones, secunda 36. subdistinctas in Quæstiones, & Canones, cum tractatu de pœnitentia redacto ad 7. distinctiones, tertia materiam consecrationis congestam in 5. distinctiones, continet, his decretis, in quantùm authoritati Gratiani nituntur, robur Legale non est. *Joan. And. ad cap. 1. de rescrip.* Secundò per decretales conscriptas à Raymundo de Penna, viro per Clementem 8. postea in Sanctorum numerum relato, & approbatas à Gregorio IX. summo Pontifice, tertiò per Librum 6. Decretalium in 5. libros, titulos, & capitula, uti decretales, subdistinctum, qui Bonifacio VIII. Supremo Ecclesiæ Antistiti vim legalem

lem in acceptis refert : Quartò per Clementinas compositas à Clemente V. in lucem verò editas jussu Joannis XVII. Sanctissimæ memoriæ, 5tò, per extravagantes Joannis XXII. & communes, quibus accessit Liber Decretalium 7. qui ut opus privatæ industriæ Jurisconsulti Petri Mathæi illegalis.

Jus Civile verò neglectis voluminibus Gregorianis, Hermogenianis, & Theodosianis, Codicéque Justinianeo ex ijs confecto, in instituta, Digesta (his æqualis est vigor, licet enim instituta, & materia §. 11. *inst. de nup.* & compositione §. 3. *&* 4. *Præm. inst.* posteriora digestis, simultanea tamen sunt in Legis valore, cum eadem die tertia nempe Calendarum Januariarum anno, à nativitate Christi 533. valorem, vimque legalem obtinuerint) in Codicem repetitæ prælectionis, & tandem Novellas separatur, qui duo ultimi Codicis, & Novellarum Tractatûs prioribus, Institutis nempe, & Digestis, imò & Novellæ Codici derogant ob Juris principium, quod posteriora prioribus derogent *L. fin. ff. de constit. princ.* Præterea Jus Civile subdividitur in scriptum, & non scriptum ; scripti variæ erant species, nimirum Legum, plebiscitorum, Senatûs Consultorum, placitorum Principum, Prætorum edictorum, & responsorum prudentûm, quas omnes, in præactis Juris Civilis partibus pluribus reperibiles, unicum in Legis nomen combino, atque deffinitione statui democratico, aristocratico, & monarchico applicabili deffinio : Legem esse commune præceptum ab habente potestatem in bonum publicum ordinatum *Zoës. de LL. n.* 3. *&* 4. & requirere potestatem in Legislatore *tot. tit. ff. & C. de constit. princ.* Justitiam, & honestatem *Can.* 2. *dist.* 4. stabilitatem *cap. fin. & de offi. Leg.* & tandem debitam promulgationem *L.* 9. *Cod. de LL.*

Econtra non scriptum describitur in §. 9. *Instit. de J. N. G. & C.* & *L.* 32. *ff. de LL.* quod sit Jus tacitis utentium moribus introductum, aliovè nomine & dicitur consvetudo, quæ alia præter Legem, disponens in casu à Lege omisso, alia secundùm Legem, quæ Legis est imitativa, alia contra Legem, quæ Legis est destructiva ; ut verò consuetudo habeatur legitima, sit munita primò, actuum frequentiâ *L.* 32. *ff. de LL.* & quidem secundò introductorum â majoritate communitatis, habentis potestatem legislativam saltem passivam *L.* 19 *ff. ad municip.* tertiò diuturnitate temporis regulariter annorum 10. *cap. fin. & de consvet.* & quod priores conditiones præcellit, sit consvetudo rationabilis, seu non repugnans

juri naturæ, divino, aut justitiæ *præcit. cap. fin. & tot. distinc.* 8. finaliter tandem nitatur consvetudo tacito principis consensui, qui ex eo præsumitur; dumodò cætera requisita non deficiant, quod Princeps Lege generali consuetudinem, nempe *cap. 1. & 6. de const. & L. 32. ff. de LL.* approbaverit.

Prioribus accedunt Privilegia, & statuta, priorum præcipua in Jure divisio in realia, & personalia, *L. 196. ff. de R. J.* realium amplior vis est, cum non ut personalia *L. 7. ff. de exception.* personæ adstringantur, sed ad hæredes, fidejussores &c. se extendant §. *1 mò prælatæ L. 6.* posteriorum natura consistit in eo, quod vim Legis habeant, si municipio, vel Civitati &c. vel â Principe sit concessa facultas, vel consuetudine acquisita condendi statuta, careant verò vi legali, & solùm in vim pacti inter condentes obligent defficiente priùs dicta potestate.

Juris seu scripti, seu non scripti effectus est obligatio, ad scientiam *L. 9. Cod. de LL.* ad obedientiam *L. 7. ff. de Jure patro:* & tandem ad pœnam *L. 2. ff. de LL.* immò & ad conscientiam legum se extendit obligatio, qui enim resistit potestati, Dei ordinationi resistit *S. Paulus ad Rom. 3. v. 1.* excipe Legem mærè pœnalem, quæ ante sententiam non stringit, & Legem fundatam in præsumptione *Nov. 1. cap. 2.* quibus præmissis.

QUÆSTIO I.

An Jus naturale mutari possit?

HAnc primam Quæstionem decido Negativè, fundamentali, ac indissolubili ea ex ratione, quod Jus naturale fundetur in dictamine veræ, & rectæ rationis, â natura naturante hominibus indito, & omni humanâ potestate superiori, adeoque eidem non subjacenti, multò minùs ab ea mutabili, & quidem neque quoad partem tùm ob rationis identitatem, tùm ob Juris principium, quod juris est in toto, idem est in parte *L. 69. ff. de rei vind.*

Neque dictis adversatur primò, quòd libertas Juris naturæ fit, & tamen in servitutem fuerit immutata §. *1. inst. de jur. pers.* & *L. 4. §. 1. ff. de stat. homi.* uti & rerum communio, quæ ex post per distincta dominia, & gentes discretas fuit sublata *can. Jus naturale* 8. *dist. 1. & L. 5. ff. de Just. & Jur.* præmisi enim Jus naturale

rale etiam permissivè dirigere, pro hac circumstantia bellum, pro illa pacem, pro hac rerum communionem, pro altera Dominiorum distinctionem admittere, idem tamen semper veræ rationis immutabile dictamen permanere.

Secundò, paritas à Jure Divino, quia si illud mei fori esset, idem in eo statuerem, licet lubens admitterem, quod in Præceptis & DEI, & naturæ, si pendeant â priori consensu voluntatis humanæ, & ab illius ad agendum efficaciâ, intercurrere possit hominum dispensatio, non directè tollendo Legis obligationem, sed indirectè mediante aliqua remissione ex parte materiæ variatæ, & mutatæ ad voluntatis mutationem.

Tertiò, quòd Jure naturali prohibita sit alieni detentio, quæ tamen ex post præscriptionis lege approbata, quia falsissimum est suppositum, quòd præscriptio detentionem alieni justificet, sed id tantùm præscribenti adjudicat, quod socordia prioris Domini neglexit, & amisit.

Quartò, Conjunctio maris, & fœminæ, quæ in primis mundi incunabilis singula generum, nunc verò solùm genera singulorum obligat, illa enim obligatio procedebat solùm ex defectu hominum, qui notoriè cessavit.

Quintò, Tandem *tit. 9. prol. J. Trip.* docens, quòd, licet Jus naturæ in sui universo tolli nequeat, possit tamen tolli in casibus particularibus, summi enim debet citatus articulus ad normam eorum, quæ vel prima, vel secunda objectione dicta sunt.

QUÆSTIO II.

An Princeps terrestris Legibus patriæ teneatur?

RESp. esse contra omnem difficultatis aleam, Principem obligari Lege Divina & naturali, utpote superioribus Principe, Lege verò vel â Principe, vel ab ejus antecessoribus latâ, non obligari, conclusionem firmo.

Primò, in defectu superioritatis, non enim Lex Principe superior, sed Princeps Lege.

Secundò, In claro textu *L. 31. ff. de LL.* asserente, Principem Legibus esse solutum.

Dictis non obest primò *L. 4. Cod. de LL.* cujus sunt cœlô di-

gna formalia : digna *vox est majestate regnantis*, *Legibus se alligatum profiteri*, cùm Lex hæc loquatur non de vi coactiva, sed directiva fundata in principijs naturæ, quòd quisq; juris in alterum statuerit, eodem jure utatur & ipse, & Regis ad exemplum totus componitur orbis. ad rem Claudianus.

tunc observantior æqui
sit populus nec ferre recusat, cùm viderit ipsum
censorem parere sibi.

Secundò, *Tit. 9. part. 1. Trip. Hung.* asserens, quòd liceat Nobili Hungariæ absque nota infidelitatis resistere Principi Lege sua generale Decretum Andreæ Regis Nobilium libertatem concernens immutare volenti, cum id non legis, sed pacti, & sacramenti Principis effectus sit. *Gudelinus de just. pac. cap. 11.*

QUÆSTIO III.

An admittenda sit consuetudo contra Legem?

COncludo hanc Quæstionem affirmativè, motus tum aperto textu *L. 32. ff. de LL.* tùm clarâ Doctrinâ *cap. fin. & de consuet.* in formalibus statuente, consuetudinem rationabilem, & legitimè præscriptam Juri positivo derogare posse.

Conclusionem non enervant primò, quòd omnis consuetudo contra Legem, & quia contra rationem Legis vergit, & quia resultat ex actibus peccaminosis, utpotè contra Legem gestis, necessariò irrationabilis dici debeat; licet enim ad primum consuetudo contra Legem tendat contra rationem legis, nititur tamen propriâ ratione, &, licet ad secundum actus consuetudinis in fieri sint peccaminosi, non tamen concurrunt ad consuetudinem contra Legem ut causa, sed solùm ut indicium populi volentis â Lege recedere, cui voluntati, si eidem reliqua consuetudinis requisita accedant, Princeps Lege generali consuetudinem approbante, connivet, sicque actus consuetudinis in facto esse justos reddit.

Secundò, *Lex secunda Cod. quæ sit Lon. consuet.* statuens consuetudini non esse tantum effectum, ut Legi prævaleat, quia illa Lex vel explananda de consuetudine irrationabili ad mentem *præfati cap. fin.* vel est dicendum, consuetudinem de se Legem tollere non posse, licet Legem tollat, ut Lege posterior.

Tertiò, paritas à statuto, cùm ideò prohibeatur statutum contra Legem *L. 3. §. 5. ff. de sepul. violat.* quòd expressè Legi repugnet, sæpè verò expressa noceant, quæ non expressa non nocent. *L. 52. ff. de condit. & demonst.*

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An fœmina, consuetudine, & moribus patriæ in Judicem eligi valeat?

COntroversiam hanc affirmativè resolvo, & demonstro. Primò, quòd fœminæ judicandi munus, & cætera officia publica *L. 2 de R. J.* non competant, moribus, & consuetudine inductum est. *L. 12. §. 2. ff. de Judiciis* ergo & consuetudine contraria fieri potest, ut fœminæ muneribus civilibus fungantur.

Secundò valida consuetudine fœminæ suscipiunt arbitrium *cap. dilecti 4. & de arbit.* ergo & Judicium.

Tertiò, sancitò summi Principis fœminæ potestas judicialis potest delegari, immò delegata fuit â Sede Romana Brunichildæ Francorum Reginæ in causa certum Episcopum tangente, uti legitur *in can. mennam cau. 2. Q. 5.* ergo & consuetudine acquiri.

Resolutioni obicem non ponunt primò, forma: *L. ult. de recep. arbit.* ita de fœminis sonantia, *suæ pudicitiæ memores, & operum, quæ eis natura permisit, & à quibus eas jussit abstinere, & ab omni agmine judiciali separari.* nam verba ibidem posita, *quæ natura eis permisit*, non sunt sumenda de Jure naturali, sed fœminas naturali qualitate ad cætera munera habiliores esse, quàm ad publica.

Secundò, quòd fœminæ vindictæ cupidæ sint, juxta illud *Juv. Satyr. 13.*

vindictâ
nemo magis gaudet, quàm fœmina

ideoque ad judicandum ineptæ, cum ludentis poëtæ assertum tantæ non sit efficaciæ, ut evincat omnes fœminas hac notâ laborare, sic licet Glossa *in L. 4. ad Senat. Velleja:* fœminis avaritiam appropriet, & Pacianus liberalitatem fœminæ miraculis annumeret *cons. 14. n. 60. & 67.* sæpè numero tamen contrarium, uti hac in materia, ita & priori experientia docuit.

Tertiò, quòd fragile sit fœminarum consilium *L. si pater Cod. desponsi.* & tritum illud:

Quid leviùs fumo? flamen, quid flamine? ventus, quid vento? mulier, quid muliere? nihil, cum statui fœmineo non uti Thom: de Thomas: *in florib. LL. reg. 128. & 227.* proclamans, illam regulam *fœminæ bonæ raræ sunt, malæ autem multæ* esse absque

exce-

exceptione, injurioſus eſſe nolim, verùm fateri cogar, inveniri fœminas, largiori naturæ beneficiô, ac ſingularibus animi dotibus, & prudentiâ inſtructas, cùm & DEI populus *Judic. c.* 4. â Delbora judicatus fuerit.

TITULUS II.

De Crimine Læſæ Majeſtatis.

CRimen Læſæ Majeſtatis dicitur, quod in ſummum Principem committitur, quò nihil ſanctiùs ſub cœlo habetur *L. ult. Cod. de LL.* adeò atrox eſt, ut proximum dicatur â Sacrilegio *L. 1. ff. ad L. J. M.*

Dividitur in Crimen Læſæ Majeſtatis Divinæ & humanæ, primum perpetratur Blaſphemiâ, Simoniâ, Sacrilegiô, Hæreſi, Apoſtaſiâ, perjuriô, ſortilegiô &c. de quibus hoc loco non agimus; poſteriùs verò ſubdividitur in Crimen ſpecificum Læſæ Majeſtatis perduellionis nempe, tangens vel ipſam perſonam Principis, vel Rempublicam immediatè: Exempla hujus ſunt in eo, qui proderet exercitum, Caſtra occuparet, Urbes, munimenta, & fortalitia, quæ defendi poſſent, non defenderet, *L. 1. §. 1. L. 2. & 3. ff. ad L. J. M.* Principis ſecreta panderet, hoſtium molitiones Principi non propalaret &c. & quod ſummum eſt, ſi quis in vitam, perſonam, & Regnum Principis aliquid machinaretur *tot. tit. ff. & Cod. eod.* & in crimen Principum regalia reſpiciens, ad quæ pertinent, Jura cognoſcendi de feudis majorib. & in noſtra patria donationes regiæ, Jus cudendi monetas, revidendi, legitimandi, reſtituendi in integrum, moratoria concedendi, erigendi Academias, firmandi Privilegia, nobilitandi, ferias extraordinarias inſtituendi, poſtas conſtituendi &c. *dicto tit. ff. & Cod.*

Multa ſunt in hoc Crimine ſpecialia, primum, quôd etiam aliàs inidoneus ad delationem, & accuſationem hujus criminis admittatur *L. 3. §. 4. Cod. eod.* Secundum, quod in teſtimonium evocati ad rei exigentiam nullâ dignitate excepta quæſtionibus ſubjici poſſint *L. 3. & 4. Cod. eod.* Tertium, quod ſe extendat ad ſcientes *L. 6. 7. & 8. Cod. eod.* Quartum, quòd intercedentes pro talibus reis in æternum fiant notabiles. *L. 5. §. 2. Cod. eod.* Quintum, quòd damnati non ſint lugendi *L. 11. §. 3. ff. de bis, qui notant. infam.*

infam. Sextum, quòd liberi sentiant pœnām parentis *L. 5. §. 1. Cod. ad L. J. M.* & licet speciali Arcadij, & Honoris Imperatorum lenitate ultimô suppliciô non afficiantur, masculi paternâ, maternâ, consangvineorum, immò & extraneorum hæreditate privantur, fiuntque perpetuò infames, miseri, & egeni *dict. L. &* §. respectu filiarum verò benignior est sententia, cùm concedatur eisdem bonorum maternorum falcidia *dict. L. 5. §. 3.*

Comittitur hoc crimen solùm â subdito *clement. pastoralis 2. §. rursus de sent. & re Judic. L. fin. ff. de Jurisdict.* & trahit post se primò pœnam capitalem *L. 3. & 5. Cod. ad L. J. M.* Secundò amissionem omnium bonorum, tum feudalium, tum allodialium, & quidem ipso jure absque ulla sententia deffinitiva *L. fin. Cod. eod.* inde omnes contractus, à reo hujus criminis post crimen comissum initi, sunt ipso jure nulli *L. 5. §. 4. Cod. eod.* licet in casu, quo crimen dubiosum esset, ad executionis effectum sententia declaratoria requireretur argum. *cap. 19. de hæret. in 6tô* hisce prænotatis.

QUÆSTIO I.

An pœna Crimini Læsæ Majestatis se extendat ad Nepotes?

PRæsentem Quæstionem decido negativè, ratio decisionis consistit in unico, sed ex eo fundatissimo argumento, quia deductum è meris Juris principijs; in pœnalibus absquè aperta lege non est facienda extensio, cùm *cap. 15. de R. J. in 6to.* odia restringi, & favores conveniat ampliari; in pœnis benignior interpretatio sit facienda *cap. 49. pri. tit.* in pœnalibus causis benigniùs interpretandum *L. 155. §. 2. de R. J.* interpretatione legum pœnæ molliendæ potiùs, quàm asperandæ *L. 42. ff. de pœn.* atqui nulla lex est assignabilis, quæ pœnam Criminis Læsæ Majestatis ad nepotes extenderet, ergo non est extendenda.

Prioribus non obstant primò, quòd in Jure passim filiorum nomine & nepotes intelligantur, ita docent *L. 84. ff. de V. Sig.* filij appellatione omnes liberos intelligimus juncta *L. 220. ff. eod.* liberorum appellatione nepotes, & pronepotes, cæteriquè, qui ex his descendunt, continentur. *L. 201. ff. eod.* justâ interpretatione recipiendum, ut appellatione filij etiam nepos videatur comprehendi:

atqui pœna Criminis Læſæ Majeſtatis filios indubitanter afficit, ergo & nepotes : R. enim filiorum nomine nepotes quidem contineri in favorabilibus, non verò odioſis, Alciatus in prius *citat. L. 84.* uti & in tutela filiorum nomine nepotes non veniunt. *L. 6. ff. de teſt. tut.*

Secundò, *cap. 2. §. hæretici de hæret. in 6to.* quòd irregularitatem contractam ex cauſa paternæ hæreſeos extendit ad ſecundam uſque generationem, per conſequens ad nepotes, quos idem Capitulum filiorum nomine comprehendit. cùm primò Crimen hæreſeos graviùs ſit Crimine Læſæ Majeſtatis humanæ, ut Crimen Læſæ Majeſtatis Divinæ.

cùm Secundò, datô non con conceſſô, Crimen Hæreſeos graviùs non eſſe Crimine Læſæ Majeſtatis, in odioſis â pari nullum procedat argumentum *Gegus de crim. Læſ. Maj. t. 3. Q. 8.*

QUÆSTIO II.

An filius ob comiſſum â Patre Læſæ Majeſtatis crimen etiam ultimô ſupplicio affici poſſit ?

DUram quidem, ſed veriorem in hac controverſia aſſero ſententiam affirmativam, & fundo Primò exemplô Achanis, cujus liberi ob patris crimen ſupplicio patris fuerunt affecti *Jos. 7. v. 14.*

Secundò Authoritate Divina, quæ *Exod. 20. v. 5.* minatur, ſe peccata parentum in liberos tertiæ, & quartæ progenerationis punituram.

Tertiò verò claro textu *L. 5. §. 1. Cod. ad L. J. M.* qui filijs ultimum ſupplicium in caſu præſenti ſolùm ex benignitate remittit: horum verò ultimata ratio eſt bonum publicum ; ut nempe liberorum charitas amiciores Reipublicæ reddat parentes, ſcientes, ſcelus ſuum redundaturum in caput liberorum è *Cice. Epiſt. 12. ad Brut.*

Poſita non enervant, quod legatur in Jure Divino, filium non portare iniquitatem patris *Deuterono : cap. 18. Regum 4. cap. 14. Ezechiel cap. 18.* quòd liberi non ſentiant pœnam patris *L. 26. ff. de pœn.* quòd nihil iniquiùs, quàm aliquem fieri hæredem paterni odij *Sene. 2. de ira cap. 34.* quia præponderat utilitas, & bonum publicum, ſicuti docemur interritu Sejani *apud Svet. in Tiber. cap. 58. Tacit. 5. annal.*

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An prælata pœna etiam filios ante crimen natos afficiat?

SEquor in hac Quæstione bonum Principis, patriæ, & veri, respondeovè affirmativè, responsionis motiva sunt. Primum constituitur in ratione, ob quam Jura hoc in crimine adeò severè procedunt, ut parentes nempè metu mali, in liberos se extendentis, à tam impio facto absterreantur, in liberis enim parentes terrentur *L. 8. in fin. ff. quod met. causa*, quæ æquè militat in liberis post, ac ante crimen natis.

Secundum, ad mentem Vasquij *de succeff. to: 3. §. 12. n. 11.* in sæpè allegat. *l. 5.* indistinctè & generaliter loquente.

Tertium in paritate hæreticorum, quorum filij, licet parens in mortis articulo hæreticus factus fuerit, pœnam priùs dictam sustinent. *cap. 3. de hæret. in 6to.*

Quæ ab adverso objiciuntur, non sunt tanti momenti, ut me in sui partem trahere possint, si enim opponatur primò, *can. 10. cau. 1. Q. 4.* non imputantur filijs peccata parentum, quæ post eorum nativitatem à parentibus comittuntur, in promptu erit responsio: Canonem Gratiani esse se referentem ad Epistolam Divi Augustini 75. Episcopo Auxentio transmissam, cujus contextus legendus est *in can. 1. cauf. 24. Q. 3.* & decisioni non contrariari, verùm in eo subsistere, quod ob peccatum patris filij nequeant sentire pœnam spiritualem patris, uti excomunicationis, cùm habeatur *Ezechielis 18.* anima patris mea est, & anima filij mea est, anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.

Secundò, *L. 7. §. 1. & L. 9. ff. de Senat.* statuentes, quòd liberis quæsita dignitas propter casum patris auferri nequeat: subjungo enim loca oppositа fundari in qualitate per generationem transmissibili.

QUÆSTIO IV.

An pater, vel econtra, filium tanti criminis reum deferre teneatur?

HOc dubium combino distinctione, & dico teneri patrem deferre filium, & è contra, cùm in hoc crimine sola scientia,

& conſcientia noceat *L.* 5. §. penult. *Cod. ad L. J. M.* & pater filium venientem ad patriæ deletionem occidens præmiô ſit afficiendus *L.* 35. *ff. de relig. & ſumpt. fune.* non teneri, ſi parens filium privata monitione à crimine adeò turpi poſſit abducere, ne videatur proprium filium ſupplicio offerre *L.* 13. §. 6. *ff. de re milit.*

TITULUS III.

De patria poteſtate.

SChneidevin: inſt: de his, qui ſui & alieni juri ſunt, deffinit patriam poteſtatem eſſe Jus ex conſtitutione Juris Civilis deſcendens, quo liberi parentibus (generis maſculini, fœminæ enim filios in poteſtate non habent §. 10. *Inſt. de adopt.*) ratione perſonæ, & bonorum quoad certos effectus ſubjiciuntur.

Tribus modis conſtituitur patria poteſtas, matrimoniô, ſeu juſtis nuptijs: adoptione, & legitimatione.

Nuptiæ, dictæ ab obnubendo, quia ſponſa in ſignum pudoris, & ſubjectionis caput obnubebat *can.* 8. *cau.* 30. Q. 5. ſunt viri, & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem in ſe continens *L.* 1. *ff. de ritu nupt.* dicitur viri, & mulieris conjunctio (intellige animorum, nuptias enim non concubitus, ſed conſenſus facit *L.* 30. *de R. J.* unde inter Virginem abſque labe conceptam, & Sanctum Joſephum verum fuiſſe matrimonium dicitur *can.* 3. *cauſ.* 27. Q. 2.) ut differant à ſponſalibus, deſcriptis in *L.* 1. *ff. de ſponſ.* quod ſint mentio, & repromiſſio futurarum nuptiarum, quorum cauſa efficiens conſenſus contrahentium, majorũ 7. annis *L.* 14. *ff. eod.* etiam per patrem, vel extraneum expreſſus, ſi accedat aut mandatum, aut ratificatio *cap.* 1. ℟ *de deſpon. impub. cap. unic. eod in* 6to. cauſa formalis conſenſûs expreſſio *cap. penult.* ℟ *de ſponſ.* materialis corpora tradenda *Vall.* ℟ *h. t. tit.* finalis futurum matrimonium *cap.* 17. ℟. *eod.* cum effectu impedimenti publicæ honeſtatis, primum gradum non excedentis *Conſil. Trident. Seſſ.* 24. *de reformat. mat. cap.* 3.

Sponſalia non ponunt vinculum indiſſolubile, ſolvi enim poſſunt profeſſione *cap.* 2. & 7. ℟. *de converſ. conju:* immò & ſola habitus Religioſi aſſumptione, cùm difficile ſit ei nubere, qui cappam geſtavit *Zoës. dict. tit. n.* 27. idem dic de voto Religionis *Zoës n.* 10. matrimonio ſubſequenti *cap.* 22. ℟. *de ſponſ.* ſupervenienti cognatione, vel legali, vel ſpirituali, lapſu termini, voluntario diſceſſu, for-

fornicatione, verbô omni eo adveniente, quo præcognitio ſponſalia non fuiſſent contracta, ſunt dicta *cap.* 5. 22. ℣. *de ſpons.* 25. ℣. *de Jurejur. ult.* ℣. *de conjugio Lepro.* quæ omnia tamen ſume ex parte innocentis.

Dicitur ſecundô, individuam vitæ conſuetudinem continens, quia ad tempus nec uxorem, nec liberos habere licet *L.* 34. *ff. de adopt.*

Tres ſunt matrimonij ſpecies, legitimum, ratum, & conſumatum: diſſolubile eſt legitimum ad methodum præſcriptam *in cap.* 7. & 8. ℣. *de Divort.* ratum verô per profeſſionem religionis approbatæ *cap.* 16. ℣. *de ſponſ.* & per diſpenſationem ſummi Pontificis Covaru. *de mat. p.* 2. *cap.* 7. §. 4. *n.* 21. conſumatum verô quoad vinculum indiſſolubile eſt *Trident. Seſſ.* 24. *de reformat. mat. cap.* 7. licet quoad thorum, & menſam diſſolvi poſſit, primô per adulterium *Lucæ* 16. *v.* 1. Secundô ob hæreſim *cap.* 2. ℣. *de divort.* Tertiô ob nimiam ſævitiam *cap.* 13. *in fin.* ℣. *de reſtit. ſpoliat.* Quartô ob votum tranſmarinum *cap.* 9. §. *in tanta* ℣. *de voto*, & *voti redemptio.*

Requiſita matrimonij ſunt, Primô conſenſus contrahentium de præſenti liber ab omni metu *cap.* 13. ℣. *de ſponſal.* Secundô præſentia Parochi unius contrahentium & 2. teſtium *Trident. cit. ſeſſ. cap.* 1. Tertiô legitima ætas in mare 14. & in fœmina 12. annorum malitia tamen ætatem ſupplere poteſt. *cap.* 9. ℣. *de deſponſ. impub.* & tandem abſentia alicujus impedimenti, quorum alia dirimentia, contenta ſequentibus verſibus.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptaquè ſit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc ſocianda vetant, connubia facta retractant.

Alia impedientia, verſiculis ſubſequentibus expreſſa.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque Catechiſmus, ſponſalia, jungitô votum,
Inceſtus, raptus, ſponſatæ mors mulieris,

Suſceptus propriæ ſobolis, mors presbyteralis,
Vel ſi pœniteat ſolenniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc matrimonium ſociandum.

Inter impedimenta dirimentia Principem locum tenent cognatio, & affinitas, cognatio deſcribitur attinentia perſonarum, ex aliquo vinculo reſultans, ſi vinculum ſpirituale ſit, fluens ex baptiſmo & confirmatione, ponit impedimentum *ad d Trident. dicta Seſſione cap. 2.* factam reſtrictionem in ſequenti carmine comprehenſam.

Baptizans, baptizatus, baptizatíque parentes,
Levans, levatus, levatíque parentes,

Si ſit legale, proveniens ex adoptione inter eos, qui parentum, vel liberorum, vel etiam ſtante adoptione fratrum locô eſſe cæperunt *can. 1. cau. 36. Q. 3.*

Si tandem carnale, contractum carnali propagatione, inter aſcendentes & deſcendentes in æternum *Layman l. 5. tract. 10. part. 4. cap. 6.* inter collateraliter junctos ad quartum uſquè gradum incluſivè *cap. 8. ℣. de conſan.*

Affinitas verò eſt propinquitas perſonarum, reſultans ex habita cum alterius cognata copula *Zoës. dict tit. n. 8.* ſi copula illicita ſit, ſe ad ſecundum uſquè gradum, ſi verò licita, ad quartum incluſivè extendit impedimentum. *Trident. ſæpè lata Seſſ. cap. 4.*

2dò acquiritur patria poteſtas legitimatione, ſeu nataliumreſtitutione, quæ eſt actus, quo liberi naturales efficiuntur, legitimi §. *fin. inſt. de nupt.* & hodie, ubi ceſſavit legitimatio per oblationem curiæ, fit vel per ſubſequens matrimonium tanto cum effectu, dumodo proles ſit nata ex ijs, inter quos tempore conceptionis non fuit matrimonium prohibitum, ut taliter legitimati quoad ſucceſſionem, immò & feuda, & munera publica comparentur legitimis *cap. 6. ℣. qui fil. ſint legit. & L. 10. Cod. de nat. lib.* unica dignitate Cardinalitia excepta per Bullam Sixti V. anno 1590. emanatam.

Vel per reſcriptum Principis, quæ legitimatio primò in præjudicium juſtorum liberorum non tribuit effectum ſucceſſionis *Nov. 89. cap. 10. & 11.* Secundò, habilitat quidem ad munera publica, ſed ſolùm ad limites Jurisdictionis Principis, excipe, ſi de conſuetudine ad aliquam dignitatem requiratur legitimitas thori, uti ad Gradum Doctoralem *Mynſing. l. 4. ob. 31.*

Ter-

Tertiò obtinetur patria poteſtas adoptione, quæ, omiſſa adoptione ſpecifica, aliô vocabulô arrogatio dicitur, quæ eſt patrisfamilias in filium aſſumptio *L. 1. §. 1. ff. de adoptio.* (nota, quod etiam impubes adoptari poſſit cum conſenſu propinquorum, & tutorum *L. 2. Cod. de adopt.* & præſtita cautione Legum *2. & 18. ff. eod.*) & hodie non niſi conſenſu, & reſcriptô Principis fieri poteſt. *L. 2. ff. eod.* eúmque habet effectum, ut arrogatum in poteſtatem arrogantis una cum fortunis, & liberis ſuis trahat *L. 15. & 40. ff. eod.*

Effectus patriæ poteſtatis ſunt primò olim jus vitæ, & necis in liberos *L. 5. Cod. de patria Poteſtat.* hodie honeſtæ emendationis, & correctionis *L. fin. Cod. eod.* Secundò jus vendendi, vel oppignorandi filios in extrema neceſſitate *L. 2. Cod. de pat.* qui abijt in deſuetudinem. Tertiò vindicatio filij ab alio detenti *L. 1. §. 2. ff. de rei vindica.* Quartò teſtamentaria tutelæ datio *§. 3. Inſt. de tut.* & ſubſtitutio *L. 2. ff. de vulg. & pup. ſubſt.* Quintò neceſſitas inſtitutionis, vel exhæredationis *Nov. 115.* Sextò illegitimitas ſtandi in judicio abſque patris conſenſu. Septimò quòd id, quod filius acquirit ex peculio profectitio, patri acquirat *tot. tit. ff. de pecul.* excipe caſum bonorum paternorum confiſcationis *L. 3. §. 4. ff. de mi.* & emancipationis abſque peculij ademptione *L. 31. §. 2. ff. de donat.* exſoluto tamen ære alieno *L. 38. ff. de condict. indeb.*

Quod verò filius ex adventitio acquirit, in regula acquirit ſibi quoad proprietatem, patri quoad uſum fructum. *L. 6. Cod. de Bon. quæ lib.* dixi in regula, quia in ſequentibus caſibus patri nec uſusfructus debetur, primò in relicto ſub conditione patri uſumfructum adimente *Nov. 117. cap. 1.* Secundò in donatione Principis *L. 7. Cod. de bon. quæ lib.* 3tiò. in ſucceſſione fratris *Nov. 118.* & 4tò. in aditione hæreditatis contra patris voluntatem *L. final. Cod. dict. tit.*

Quod tandem filius acquirit ex peculio caſtrenſi, vel quaſi, ſibi acquirit pleniſſimè *dict. l. 6. Cod. eod.*

Nonus patriæ poteſtatis effectus eſt, quòd filij inviti regulariter non emancipentur. *Nov. 89. §. 11.* & decimus Privilegium Senatûs Conſulti Macedoniani.

Tollitur patria poteſtas, Primò morte naturali *Inſt. quib. mod. pat. pot. toll.* Secundò morte civili *§. 1. inſt. eod.* Tertiò ſervitute pœnæ *Nov. 22. cap. 8.* Quartò dignitate, liberante à curia, *Nov. 81.* Quintò captivitate ſalvo jure poſtliminij *§. 5. Inſt. eod. L. 10. 11. &*

11. & 18. *ff de cap. & post. rev.* Sextò emancipatione, *L. 36. ff. de adopt.* quæ de Jure Hungarico facta præsumitur respectu masculorum divisione bonorum, respectu fœminarum verò matrimoniô *ad initium allegat tit. 51.*

Queîs adductis.

QUÆSTIO I.

An ad valorem sponsalium requiratur parentum consensus?

STatuo breviter, requiri de Jure Civili *L. 2. ff. de ritu nup.* non requiri de Jure Canonico ob libertatem matrimonij *cap. 33. & 23. ℣. de spons. cap. 6. ℣. de rapt.*

In contrarium nihil faciunt *can. 1. & 3. cau. 30. Q. 5.* è quibus erui posset, consensum parentum ad valorem sponsalium esse necessarium, quia oppositi Canones intelligendi sunt de honestate, non verò de necessitate.

QUÆSTIO II.

An matrimonium consumatum ob adulterium dissolvi possit quoad vinculum?

MAgni ponderis, & indaginis hæc est controversia, quam hæreticorum impudentia in partem affirmativam trahere conatur, verùm utor verbis Justiniani *in L. 2. Cod. de hæret.* omnes, Legibus Divinis vetitæ, hæreses, & dogmata perpetuò quiescant, & concludo ex Evangel. *Mar. 10. & Luc. 16. v. 1.* matrimonium consumatum neque per adulterium dissolvi posse: Sancitum enim DEI est in prius citatis locis expressum: *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discedat, manere innuptam:* qua & de causa *Conc. Trident. Sess. 24. de reform. mat. cap. 7.* pœnâ, anathematis in eum fulminat, qui docet, ob adulterium matrimonium consumatum dissolvi posse quoad vinculum.

Quæ Acatholici huic sententiæ magis strepitosè, quàm fundatè opponunt, facillimè eludes, & quidem primò textum *Matthæi 19. v. 9.* (in quo Achillem statuunt) sonantem: *Quicunque dimiserit uxorem nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mechatur,* non

ut

ut ij perversè inferendo : ergo licet dimittere uxorem ob adulterium, sed catholicè ità exponendo, non licet uxorem dimittere, nisi fornicata sit, quoad thorum nempe, & mensam, si quis autem dimiserit, licet ex causa fornicationis quoad vinculum, & aliam duxerit, mæchatur.

Si verò secundò in causam indissolubilitatis curiosi inquirant, cum ea nec consensus, etiam Sacramentô qualificatus, quia eo non obstante matrimonium ratum dissolubile est, nec copula esse possit, cum ea in matrimonio legitimo interveniat, & tamen non reddat illud indissolubile, subjunges *è cap. 5. ꝟ. de big. non ordin.* & *Apost.* ad *Eph. 5.* indissolubilitatis rationem esse animorum consensu unitum corporum commixtioni, & conjunctionem hypostaticam Christi cum Ecclesia repræsentantem.

Si tertiò *can. 17. 18. & 19. cau. 32. Q. 7.* tibi obtrudant, in quibus matrimonij consumati dissolubilitas videtur admitti, vel eos remitte ad Juris principia, dicendo Canones illos utpote Gratiani esse illegales, vel admoneas, ne more assveto judicent de Lege; nisi totam perpendant, præmentionata enim *cuusa 37. & Q. 7. præprimis can. 5. & 6. cum ijs*, quæ oppositis Canonibus suppositа sunt, pro indissolubilitate matrimonij strenuè militant.

Si tandem quartò perversè critici, *Caput 28. Decret. S. Steph. l. 2.* in medium adducant, in quo admittitur uxori in casu malitiosæ desertionis, factæ à viro, viro adhuc vivo, alteri nubere, dices, Decretis Sancti Stephani in materia spirituali, & fidei non esse robur legale, vel Legem illam latam fuisse eo tempore, quo Hungaria saluberrimis Catholicæ Fidei præceptis nondum integraliter imbuta erat.

QUÆSTIO III.

An legitimatus per subsequens matrimonium præferatur legitimè nato ex intermedio thoro ?

IN hac Quæstione negativæ sum opinionis è ratione, quòd legitimè nato ex intermedio per nativitatem jus primogenituræ quæratur, cùm sit verum dicere, quòd & sit primus, & legitimè natus, ergo eidem jus hoc quæsitum tolli nequit, id enim, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest *L. 11. ff. de R. J.* accedit, quod mulier nobilis summè deciperetur, si

ejus primò natus ob alium naturalem, à morte ipsius legitimandum à successione primogenituræ excluderetur.

Non obstant primò, quòd legitimatio per subsequens matrimonium fiat fictione Juris, fingendo nempe matrimonium contractum fuisse eo tempore, quo filius conceptus, per consequens taliter legitimatus fingatur eo tempore legitimus, quo conceptus, atqui fictio tantùm operatur in casu ficto, quantùm veritas in casu verò, ergo. cùm fictio, utpotè argum: *L. 2. §. 5. ff. de aqua, & aquæ plu. arcen.* fundata in æquitate, in tertij præjudicium non operetur.

Secundò quòd legitimatio per subsequens matrimonium filium legitimatum reddat legitimo æqualem, quia id verum, si præjudicium tertij non intercurrat, inde talis filius in alijs paternis bonis cum legitimo æqualiter succedit, nato enim ex intermedio thoro non est Jus quæsitum ad integram patris hæreditatem, ut ad primogenituram.

QUÆSTIO IV.

An adoptio tribuat Nobilitatem?

PRobabilior mihi videtur negativa, primò quia adoptio est quidem modus acquirendi patriam potestatem, non verò nobilitatem, cujus collatio est de regalibus Principum *Harprect. n. 10. de adopt.* qua de causa filius adoptivus patri adoptanti in feudo non succedit *L. 2. feud. tit. 26. §. adoptivus.*

Secundò, quia adoptio parit quidem jus cognationis, non tamen sangvinis *L. 22. ff. de adopt.*

Tertiò, à paritate Libertini, qui adoptione ingenuus non fit, quia ingenuitas dependet à ventre *L. fin. ff. eod.* ergo neque Nobilis, quia Nobilitas fluit ex sangvine.

Si fautores contrariæ opinionis objiciant primò paritatem à muliere, quæ per nuptias, cum Nobili initas, Nobilis evadit *L. 13. Cod. de dignitat.* repone, specialiter id inductum esse in matrimonij favorem, quòd in consequentiam trahi non debet *L. 13. ff. de LL.*

Secundò, si opponant, quòd adoptio naturam imitetur, admitte in ordine ad patriæ potestatis, nega in ordine ad alios effectus.

Tertiò, si instent à paritate consangvinitatis reperibili in *L. 44. ff. de*

ff. de adoptio. dic consangvinitatem ibidem non accipi pro jure sangvinis, sed pro cognatione civili *L. 12. §. 4. ff. de ritu nupt.*

Quartò, si urgeant è tit. 8. prim. part. Tripartiti Hungariæ, respondè, Nobilitatem non profluere ex sola adoptione, neque ex solo Principis consensu, adoptionem permittente, nisi & consensus se extendat ad Nobilitatem.

TITULUS IV.

NE Juris publici obliviscar, quædam pro coronide mei opusculi publico-politica subjungam, & cùm notissimum illud diverbium *nulla salus bello* tempora nostra certò ferrea mutatis verbis occinent, *Nulla salus pacis, bellum te poscimus omnes*, de bello brevissimè discursum, discursuique meo quatuor Quæstiones materiæ congruas subnectam.

Timeat Princeps bellum absq; causa, & temerè suscipere, absq; causa enim in acie versari, & manu cum hoste confligere, & insane quoddam, & belluarum simile est: ita *Cic. 1. de off.* Euripides verò iniqua bellans bella salvus haut redit: optimè ad rem Baldus; priusquam Princeps ad bellum proclamet, utatur verbis, & herbis, omni nempe virtutis ingenio, ut bellum sopiat, caveat ne ira, aurum, ulciscendi cupiditas, & libido dominandi contra Divi Augustini doctrinam in Faustum *L. 22. cap. 4.* sint belli ratio, non gerat Princeps illud Livij quintò in animo: in armis jus ferre, & omnia fortium virorum esse.

Dividitur bellum in defensivum, & aggressivum, de justitia defensivi nullus dubitat, docet enim natura bruta, mos gentes, necessitas barbaros, ratio prudentes vim vi repellere:

Aggressivum autem justum erit, si priùs clarigatum *Plin. 22. nat. hist.*

Justè bellum indicit solus Princeps, vel populus superiorem non recognoscens *L. 24. ff. de capt. & postl. rever.* ideò Plato prudentissimè sanxit *L. 12. de LL.* si quis privatùm sine publico scitu pacem, bellumque fecerit, capital esto.

Præcipuus belli finis sit pax, tranquilitas, utilitas, conservatio, & ut verbô iliadem complectar, bonum publicum *Zoës de re milit. n. 1.* ipsamet enim Eloquentia *1. de offi.* bellum tutelæ æquiparat, cui suprema Lex pupillorum, seu subditorum salus.

Antequam bellum Princeps inchoët, sit sollicitus de prudentibus

tibus Conſiliarijs, quia *aurum, & multitudo gemmarum, & vas pretioſum Labia ſcienciæ prov. 20. v. 15.* de pecunia, quæ nervus belli dicitur *Quinct. l. 12.* de comeatu, & anona, quia vincitur ſine ferro jejunus exercitus *Veget. 3. cap. 26.* de armis ſecundùm notum diverbium; qui deſiderat pacem, præparet bellum, & tandem de milite, robuſto, forti, magnanimo, & virtuoſo magìs, quàm copioſo, etenim ignavam multitudinem non vires, ſed pondus habere aſſerit Seneca *de beneff. cap. 31.* & potiùs eſſe impedimento, quàm auxilio *Livius 9.*

Miles verò dicitur, qui Sacramentum militare præſtitit, redactus eſt in ordinem, & nomen dedit matriculæ *Briſſo 2. antiq. lect. 6.* olim moris erat renuentes ad militiam cogere, exceptis infamibus, ſervis, proditoribus, transfugis &c. *L. 2. 4. 7. & 8. ff. de re milit.*

Immunes etiam à militia ſunt Clerici, de quibus Divus Ambroſius: *non pila quærant ferrea, non arma, Chriſti milites, ſed dolor, fletus, lachrymæ, orationes ſint arma adverſus hoſtem.*

Hodie tamen de conſvetudine totius fermè Europæ nemo ad militiam cogitur.

Militum nomine veniunt primò tyrones, qui in ordinem nondum redacti *L. 3. §. 9. ff. eod.* 2dò veteres, quos ſupra deſſinivi, & 3tiò veterani, qui honeſtam miſſionem conſecuti ſunt *ff. de Privile. veteran.*

Plurima militibus ſunt conceſſa Privilegia, condunt teſtamentum abſque ſolennitate *ff. de teſta. militar.* licet damnetur capite ex delicto militari, dummodò Sacramenti fidem non violaverit *L. 11. ff. eod.* gaudent beneficiò competentiæ *L. 6. ff. de re jud.* inviti non dicunt teſtimonium *L. 3. §. fin. ff. de teſt* ſolvunt quidem octavam vectigalium, ſed res eorum ob omiſſam profeſſionem non cadunt in comiſſum *L. 3. & 7. Cod. de vectig.* res pecuniâ eorum emptas vindicant *L. 8. Cod. de rei vindicat.* non ſubeunt tutelam *L. 3. §. 1. ff. de mun. & hono.* in condictione pecuniarum indebitè exſolutarum onus ptobandi transferunt in adverſarium *L. 25. §. 1. ff. de probat.* non imputatur ijſdem juris ignorantia *L. 9. §. 1. ff. de Ju. & fact. igno:* temerè adita hæreditate non tenentur ultra vires hæreditarias *L. fin. Cod. de jur. delib.* poſt ſententiam peremptoriam exceptionem oponunt *L. 1. Cod. de Jur. & fact. igno.* non ſubjiciuntur Quæſtionibus *L. 8. Cod. do quæſtio.* non ſubeunt pœnas plebejorum, *L.*

2. §.

3. §. 10. *ff. de re militar.* excipe delictum Majestatis *L. 4. Cod. ad L. Jul. Majest.* maleficij *L. 7. Cod. de malef.* & privati carceris *L. unic. Cod. de privat. carcerib.* tandem emortui in bello per gloriam vivere censentur *L. 18. ff. de excusat. tut.*

Caveant tamen milites ab omni delicto, sive communi, sive proprio militis *L. 2. ff. de re milit.* delicta militum propria sunt, quæ committuntur contra militarem disciplinam *L. 6. ff. eod.* talia essent, non dare nomen ad edictum Principis *L. 4. §. 9. ff. eod.* emanere *L. 3. §. 2. ff. tod.* deserere militiam, stationem transfugere §. 3. & 5. *dict. L.* non parere duci §. 15. *citat. L.* arma amittere, vel surripere *L. 14. §. 1. ff. eod.* Consilium prodere *L. 6. §. 4. ff. eod. &c.*

Ob hæc, & similia delicta milites puniuntur vel pœnâ corporali, etiam ad gravitatem delicti capitali, vel pecuniariâ, vel tandem ignominiosa missione *L. 13. §. 3. ff. eod.*

Quibus præenarratis.

QUÆSTIO I.

An solô motivô Religionis rectè geratur bellum contra eos, qui à Religione defecerunt?

PUlcherrimè deducit hanc Quæstionem à Castro *de Justit. hæret. punit. lib. 2. & Covaru. ad cap.* peccatum *4. de R. J. in 6. pag. 1. §. 9. statuentes:* non esse revocandum in dubium, quin Princeps Catholicus contra eos, qui à vera Religione defecerunt, bellum justissimè ex solo motivo Religionis movere valeat, ad quos me in omnibus, & per omnia remitto.

QUÆSTIO II.

An licitum sit Principi uti auxiliô infidelium contra Christianos?

OLdradus quidem Consil. 71. hanc Quæstionem affirmativè propugnat, verùm præplacet negativa, quæ enim turpitudo? in cladem, & ruinam amicorum DEI summos DEI inimicos evocare, quod periculum? veritatem Christianorum infidelium superstionibus miscere, quæ dementia? gerere serpentem in gremio, ignem

in sinu. Toti Græciæ extremo fuit exitio, & ruinæ, fœdus â Joanne Palæologo Orientis Imperatore, cum Amurathe primo Turcarum Duce initum.

QUÆSTIO III.

Quid Juris circa eos, qui metu criminis nomen militiæ tribuunt?

REspondeo brevissimè, tales Sacramentô esse solvendos, & remittendos ad locum delicti, ut ibi pœnam promeritam sentiant *L. fin. ff. de re milit. L. 1. & 2. Cod.* ubi de crimin.

QUÆSTIO IV.

An Princeps damna belli tempore, subditis illata, remittere valeat?

SUppositâ belli Justitiâ, favore publicæ pacis, & bonô publicô affirmo Principem damna tempore belli subditis illata absquè consensu remittere posse, ita passim Canonist. *in cap. 8. ✠. de injur. & dam. dat.* & *can. 3. 4.* & *5. caus. 2. Q. 4.* & Civilis Juris periti in *L. fin. Cod. si cont. Jus vel utilit. pub.* rationem Conclusionis omnes una mecum in eo sistunt, quòd Princeps justâ causâ etiam Jus alteri quæsitum tollere possit *Panormit. in cap. 8. n. 5. Decius consil. 287. Roman. cons. 310. n. 2. Jason. in L. cætera §. sed etsi quis n. 2. ff. de Legat. 1.* privatæ enim utilitati publica præferenda *Barth. in L. quemadmodum Cod. de agricol. & censib. n. 4.* exemplum subministrat *L. 14. Cod. de operib. publ.* decidens Principem posse diruere ædificia privatorum, mœnibus nociva.

O. A. M. D. G.